



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. I. Quid, & quotuplex sit instrumentum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

testes, vel malitiosè impediatur *c. Super eo*; *Et. Cùm contra g. b. r.* aut si de crimine agatur per modum inquisitionis, ne indignus v. g. ad beneficium promoveatur *c. Super his 8. b. r.* aut si agatur per denunciationem charitativam, ad impediendum peccatum, vel ad tollendum animæ periculum; aut si testari quis debeat ad innocentiam illius, qui reus habetur, ostendendam; aut si agatur de crimine conspirationis subditorum contra Prælatum suum *c. Venerabilis n. h. r. Et.*

§ III.

De personis privilegiatis, quæ ad ferendum testimonium cogi non possunt.

Plures sunt ejusmodi privilegiatæ personæ, quæ ordinariè ad testimonium ferendum non coguntur. Senes scilicet, qui majores sunt 70. annis; Valetudinarii, qui morbo decinentur, ne in Ju-

dici locum venire possint (quamvis *Glossa in c. Si quis 8. de testibus V. Valentiniariis*, putet, mittendum ad hos Notarium, qui scripto eorum testimonium excipiat, consulatur, & servetur hac in re consuetudo) milites qui in expeditione bellica sunt; Sacerdotes, & universim Clerici omnes qui à seculari Iudice cogi non possunt, in ulla causa, ad ferendum testimonium, cum nullus Clericorum coram seculari Iudice absque licentia sui Ordinarii, jurare possit, neque facilè cogi possunt, ut coram Ecclesiastico Iudice contra Ecclesiam suam testentur &c. Quòd si tamen veritas aliter haberi non possit, aut probetur utilitas publica talium etiam testimonium requirere, vel probetur, quòd malitiosè se, ex odio favore, aut timore &c. partis, subtrahant, cogi possunt, ad testificandum, juxta morem & consuetudinem illius Tribunalis.

TITVLVS XXII

DE FIDE INSTRUMENTORUM.

§ I.

Quid, & quotuplex sit Instrumentum.

Instrumentum, prout hîc de eo sermo est, dici potest qualibet scriptura, ad alicujus rei assertionem vel probationem facta; horum instrumentorum alia sunt publica, alia privata. Instrumentum publicum dicitur illa scriptura, quæ publicâ auctoritate sive à publica persona, qualis censetur esse Notarius, legitimè ac cum

debitis solemnitatibus confecta est, sive in iudicio sive extra iudicium; vel si à publica persona confecta non sint, quoad effectum tamen probandi publica dicuntur, uti sunt acta Iudicii Iudicis auctoritate confecta, scripturæ illæ, quæ ex Archivo publico, sive Cancellaria extrahuntur, scripturæ publico aliquo & authentico sigillo signatæ, Episcopi v. g. Principis secularis, Capituli, Civitatis, vel alterius Communitatis jus Sigilli habentis; scripturæ privatæ quidem, quæ tamen

T t

inter-

Pinhing. Compend.

interveniente auctoritate Magistratus, aut Iudicis publicantur; & scripturæ denique subscriptione scribentis, & trium vel duorum testium munitæ &c. quæ scripturæ omnes auctoritatem eam habent, ut fidem faciant &c. dummodo in eis defectus nullus fraudis suspicionem generans appareat, & ob hoc authentica dici possit, non tamen omnis authentica scriptura etiam publica est, nisi in latiore aliquo sensu ad publicum accipere velis. Quæ autem publica propria scriptura est à Notario confecta, iterum duplex est, alia vocatur Protocolum, quæ summaria, succincta, seu brevis actus gesti est annotatio, memoriz causâ facta; alia vocatur transumptum, videlicet Instrumentum authenticum & originale, ex protocollo desumptum, in legitimam formam cum debitis solemnitatibus redactum, plenam rei gestæ expositionem continens. Et quæ ex his originalibus instrumentis describuntur, exempla sive copiz instrumentorum dicuntur. Privata verò instrumenta, quæ domestica etiam dicuntur, & à privatis tantum personis, non autem à Notario confecta dicuntur, authentica sunt, vel non authentica. Authentica dicuntur illa, quæ testium subscriptione, aut Sigillo, eoque recognito, & approbato, vel alio legitimo modo munita sunt, ita ut plenam fidem faciant. Non authentica dicuntur illa, quæ his adminiculis carent, uti sunt rationes privatæ, inventaria privata, seu registra, apochæ, antapochæ, Epistolæ privatæ &c.

§. II.

Quomodo conficiendum sit Instrumentum publicum?

Plures sunt solemnitates ad hoc requisitæ. Primò requiritur Divini Nominis invocatio; cujus tamen omnia factem de jure communi scripto non requiritur instrumentum, cum nullus juratus habeatur, expressionem hanc reprensens; servanda tamen est communis consuetudo; Secundò requiritur ut ponatur in instrumento annus Nativitatis Domini currens eo tempore, & apponatur in super Indictio (cujus inventio specimen Author Meth. hoc loco suggeret) & post indictmentem, Mensis ac dies, confecti instrumenti, & notata, quam etiam hora diei addatur; notata quoque & annus Imperatoris regnantis in terris Imperii, aut Supremi illius Principis, qui Superiorem in suis certis agnoscit, exprimat; apponatur etiam locus castri, vel civitatis, domus castri & hypocausti, vel atrii, ubi contractus v. g. super quo conficitur instrumentum celebratus est, (quamvis juxta aliquos hæc tam specialia & minuta non requirantur, servanda tamen iterum consuetudo. Tertiò requiritur; ut duo vel tres testes actui illi seu confectio instrumenti adsint, vocati ad hoc, & rogati, item in certis quibusdam casibus, quorum nomina instrumento inserantur, ut appareat, per quos de veritate, si dubitari oriatur, constare possit. Et quavis necessarium non sit, ut nomina subscribant testes, Notarius tamen suum pronomen & cognomen subscribere debet, & simul exprimere, quod ab eo